

/ Illustrissime ac Rever^{me} Domine observandissime

Pax Christi, etc.

Experientia didici quanta bona proveniant ecclesiae ex eo quod utilia suggeruntur illis qui iuvare possunt. Nam ante annos ali-
 5 quot, in Austria agens, cum vidissem prophanationem venerabilis Sa-
 cramenti, inde quod daretur haereticis sub utraque specie, magisque
 hac ratione haeresis sustentaretur, admonui illustrissimum Hieroni-
 mum nuncium apostolicum apud principem Stiriae mihi familiarem, ut
 huic malo remedium adhiberet. Is, laus Deo, effecit ut communio sub
 10 utraque specie per totam Austriam et Bohemiam tolleretur.

Similia ill^{mae} Dⁿⁱ vae nunc libenter commendarem, unde multa
 mala sunt in ecclesia et de quibus multi contristantur, sperans illi
 hanc commendationem cordi fore. Ingens inprimis ecclesiae damnum
 est, quod concilium Tridentinum executionem non sortiatur, potissi-
 15 mum propter capitulorum oppositionem. Cognovi à piis et prudentibus
 viris, si SS^{mus} D. Noster pro concilii executione uti vellet opera
 imperatoris apud Germanos, facile rem habitura^m successum, neque ad-
 modum difficile fore haeresis extirpationem, quod mala vita eccle-
 siasticorum foveatur haeresis. Idem praestaret rex cum archiepis-
 20 po in Polonia.

Alterum malum in Polonia est ex frequenti translatione episcoporum ad pinguiore episcopatus; quo fit ut nusquam pedem figant, negligant dioecesis, omnia dissoluta sint, passimque pereant subdi-
 ti et proficiant haereses. Huius rei causa caruit Lithuania episco-
 25 po 9 annis, quia translatus ex Polonia recipere noluit. Alium scio
 qui spatio 7 annorum quatuor ordine habuit episcopatus.

Experitur etiam Polonia turpissimam ambitionem episcoporum, cum episcopatus pinguior vacat; nec pudet quosdam dicere se mutare nolle nisi proveniat illis archiepiscopatus. De hac eadem transla-
 30 tione graviter cum rege expostulaverunt Rocosani. Si pro archiepis-

/ copo eligeretur, ex omnib^{us} episcopis provincialibus, unus aliquis pius, doctus et zelosus vir, tolerabile foret; sed alias aperte cernitur avaritia et ambitio.

5 Huic malo accedit illud, quod ad episcopatus et dignitates vix eligantur praeter eos qui in aula serviverunt, ut plurimum indocti eorum quae religionis sunt et pompae saeculari addicti.

Tertium locum in malis tenet licentia illa coniungendi plura beneficia et testandi de bonis ecclesiasticis. Haec permissio fere non est nisi ad luxum et ut ditentur cognati ecclesiasticorum. Com-
10 mune est canonicis canonicatus habere in pluribus capitulis, ut sic inrepant ad episcopatus et dignitates. Alii etiam habent dignitates et parochias, quas per alios administrant fere indoctos et ineptos.

Quarto omnia bona imp edit mala vita ecclesiasticorum. In Germania^e capitulis passim regnare dicitur, praeter luxum, manifestus
15 concubinatus, magno, etiam haereticorum, scandalo et haeresum confirmatione. Pasim etiam visitationes pro forma fiunt, et raro. Lubecae autem, ubi adhuc collationem habet Pontifex, etiam canonici qui volunt catholici videri, duxerunt uxores; et sub illud tempus quo ego illac transivi in Daniam, quidam alumnus Germanici collegii,
20 obtento beneficio in Vestfalia, canonicatum Lubecensem vendidit haeretico duobus millibus, si recte memini, dalerorum, prout cognovi à nepote Surii domino Laurentio ibidem canonico, optimo viro quasi rosa inter spinas, qui me ibidem quaesitum humanissime ad dies aliquot excepit.

25 Denique ex clandestinis coniugiis pergunt mala, more solito, quodd decretum concilii paucis locis ab hac parte Alpium sit promulgatum, propter uxores quae ab haeresi convertuntur. Utrum cum haeretici clandestina coniugia dudum irrita fecerint, possit decretum publicari in omnibus catholicorum ditionibus, si S.D.Noster ad tempus dispensaret, ut ratum sit inter haereticos contractum matrimo-
30

/ nium per ministrum haereticum, iis in locis ubi in regionibus catholicis sunt haeretici parochi.

Ad haec radicitus tollenda et in posterum praecavenda, efficaci remedio opus erit tum circa superiores tum circa subditos, et
5 multum iuvare possunt principes, ut passim in concubinas animadvertatur et pellantur. Sed quid facto opus melius istic videbitis.

Haec sunt quae hoc tempore, ad ecclesiae utilitatem insinuanda duxi, non quidem quod haec ad me spectarent, sed quoniam Ill^{am} D^{nem} V^{ram} ad eum gradum promotam scio ut ad ecclesiae utilitatem advigilet; id ut quàm cumilatissimè praestet idque maximo suo merito, haec pro antiqua nostra necessitudine suggerere volui, sperans non fore ingrata.

De Dania addam pauca Apud Danos nihil publicè agitur de religionis mutatione; magnas tamen vires in occulto sumere dicitur calvinismus.
15 lvinismus. Non ita dudum venit quidam calvinista ex Belgio ad maritimas civitates Daniae, vir maturae aetatis, vestitus in serico et holoserico instar sponsi, sed mirus in incessu et verbis simulator. Hic adduxit 4 magistros artium iuvenes, ut in scholis versentur et lignam addiscant. Colligit idem iuventutem et mittit eam in Hollandiam;
20 duodecim ex ditioribus sibi iunxit magnis pollicitationibus; quos etiam nunc illinc abduxisse existimamus. Non videntur haec fieri sine regis et praefectorum consensu. Quo hae machinationes tendant non videtur obscurum; magis autem admiror Hollandorum liberalitatem in exteros. Principes calvinistae partis sibi coniunxerunt
25 quotquot potuerunt lutheranos principes, inter quos est etiam Danus. Verentur enim sibi à catholicis (ut fertur), vel potius malum illi catholicis meditantur. Si rex Hispaniarum pacem haberet cum Belgis, forte Lotharingus recuperaret suam haereditatem à Danis; haeres enim is legitimus est saltem Norvegiae et Scandiae; magna sic catholicis
30 accessio fieret sub specie haereditatis recuperandae. Nam, si titulo religionis bellum fieret, omnes haeretici sese coniungerent. Verum,

/ religionis bellum fieret, omnes haeretici sese coniungerent. Verum,
si Deus salvare velit, modos habet quibus propositum suum exequa-
tur. Interea tum libellis tum litteris ago ut Dani oculos aperiant.
Si Deus mecum fuerit, eventus aliquis respondebit conatui. His Ill^{ae}
5 Dⁿⁱ v^{ae} omnia precor felicia meque eiusdem s.sacrificiis et preci-
bus multum commendo.

Brunsbürgae pridie calendas novembris anno 1607.

Ill^{mae} D^{nis} v^{ae}

servus in Domino

10

Laurentius Norvegus.

Ill^{mo} ac Rev^{mo} Domino D. Roberto Cardinali Bellarmino Domino suo
observandissimo

Romam.

(sigillum Soc.Iesu)

15 Arch.Vatic. Gesuiti 18, f. 99-100^v. Origin. autogr.